

V S V S.

Notanda fors piorum in hoc mundo, quæ est, quod illorum dicta ac facta, quamvis bona, Satanas per suos satellites, datâ operâ calumniatur, & in dete-  
**Matt:10** riorum partem rapiat, Soletur autem eos vox Christi: Non est discipulus supra Magistrum.

Monemur etiam Christum ubiq; habere suos electos, ut & hîc inter Phariseos. Non enim omnes illum calumniati sunt, sed tantum quidam ex illis.

## DE TERTIO.

I. Observetur occasio Apologiæ, vel causa impulsiva, quæ fuit omniscientia  
**CHRISTI:**

*Videt enim cogitationes eorum.*

V S V S.

**Apo: 2.** Christus adhuc hodiè cogitationes cordium nostrorum scit ac videt. Non igitur cogitemus mala in cordibus nostris, sed pravis cupiditatibus resistamus, veniamq; culpæ precemur.

II. Thema refutatorium: *Quid cogitatis mala, &c. q. d.* rectè feci, quod à peccatis Paralyticum absolvi: quapropter injuriam mihi facitis, quod id mihi in malam partem interpretamini.

V S V S.